

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

DE

**OFFICIIS MEDICI,**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE MAGNIFICI DOMINI  
PRAESIDIS AC DIRECTORIS, SPECTABILIS DOMINI  
DECANI, NEC NON CLARISSIMORUM DD. PROFESSORUM,  
PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA RITE OBTINENDA,  
IN REGIA SCIENTIARUM UNIVERS. PESTINENSI,

PUBLICAE DISQUISITIONI

SUBMITTIT

**THOMAS STEPHANOVITS**

TEMESVARIENSIS.

---

Theses calci operis adnexae propugnabuntur in Palatio  
Universitatis maiore die 31. Mensis Iulii 1835.

---

---

BUDAE,

TYPIS REGIAE SCIENT. UNIVERS. HUNGARICAE.

1835.

**Conscia mens recti, famae mendacia ridet.**

***Ovidius.***



**SPECTABILI, ac CLARISSIMO DOMINO**

**BASILIO BAICH**

**MEDICINAE DOCTORI, ARTIS OBSTETRICIAE ATQUE VETERINARIAE  
MAGISTRO, NEC NON MERITISSIMO LIBERAE REGIAEQUE  
CIVITATIS TEMESVARIENSIS PHYSICO ORDINARIO**



**VIRO**  
**SCIENTIA ARTE EXPERIENTIA SUMMA,**  
**NEC NON**  
**HUMANITATE INSIGNI,**  
**IN VENERATIONIS**  
**ATQUE**  
**GRATI ANIMI MONUMENTUM,**  
**PIA CUM DEVOTIONE,**  
**HOC SPECIMEN INAUGURALE**  
**SACRAT**

**Gratissimus**

**AUCTOR.**

*Spectabilis ac Clarissime Domine!*

*mihi gratiosissime!*

Sincere profiteor, me imparem esse sensa profundissimae gratitudinis verbis exprimere, quae facultate obtenta tenuissimas hasce laborum meorum primitias, Spectabili ac Clarissimo Nomine Tuo exornandi, intimum cordis meum scrinium penetrarunt. Enim vero longo iam a tempore desiderium non aliud fovebam, quam grates maximas devoti mei animi pro benevolentia, qua me complecteris, palam profiteri. Dudum iam intuebar iudicii Tui probitatem, in humanitatem beneficia plurima et laborum merita summa, quae tamen singillatim longis verborum phalangibus percensere necesse haud est: noscit illa abunde Civitas Temesvariensis, quae campum habuit per longam annorum seriem ea sibi appropriandi; testantur non secus loca circumscripta, quae scientiae et artis Tuae effectus salubres in vitam hominum miseram redundantes experta sunt; vetat id verecundia Tua et summa modestia; vetat exilitas ingenii mei laudibus Tuis recensendis haud par.

Suscipe igitur Spectabilis ac Clarissime Domine! aequo animo tenues hosce labores meos, quos favori Tuo, animo gratissimo, ut sinceræ venerationis et debitæ gratitudinis documentum, sacrare sustineo. Suscipe simul ardentissima vota pro Tua longæva incolumitate, nullo non tempore a me ad Supremum omnium rerum Arbitrum nuncupanda, ut qui adusque Tuam opem explorantibus adstitisti, eundem Te in remotissimam ætatem venerari valeamus! Sicque oro velis et in posterum favore et amore prosequi et fovere

Dabam Pesthini 26. Junii 1835.

Tuum

devinctissimum clientem

Thomam Stephanovits.

## Prooemium.

Laureae Doctorali coeva, et non parum laudabilis consuetudo est, ut qui e quapiam altiori disciplina, praecipue tali, quae suam in societate civili adplicationem expectat, publicum ad probationis documentum sortiri intendit, praeter privatum Rigorose, etiam publicum specimen det, tum ut omnes, quorum neograduati interest, quid ab eo expectandum sit, videant, tum ut solennior quidam ad auspiciandam novam seu practicam vitae partem transitus sit, tum denique — quod tamen iam vix obtinet — ut, quoniam practici suis detenti laboribus, parum poterant, neocondecorati scribant, sicque rem litterariam suae disciplinae ditent. — Huic lubenter obsequens *de officiis medici* scribere statui, non quasi novi quid hoc in obiecto prolaturus, sed ipse serio de gravi hac materia cogitans ab aliis ingeniose dicta collecturus, in unum coniuncturus, et candidè communicaturus; quo sic nobile Medici munus in genuina sua dignitate tenuibus quoque hisce pagellis confirmetur, iique qui id exercendi fortunam, aut illo utendi dulcem necessitatem habent, refle-

ctantur ad vetus iuxta ac verum illud: „Dominus creavit de terra medelam, et vir prudens non abhorrebit eam“ item: „honora medicum.“ — Sunt quidem, qui asveti iudicare antequam cogitaverint, asserant: medicinam superfluum esse; sed cum his nobis sermo non est; qui hos docendi laborem sumeret, commemorare posset: volucres et quadrupeda instinctu naturali ducta sua distingvere remedia, suaque venena; solus homo uti corpore ita animo quoque nudus et inops nascitur, ea igitur, quae sibi proficua aut noxia sunt, discernere discat oportet; iam autem non cuique eadem ad hoc suppetunt vires, non idem otium, non denique idem aliis opitulandi animus. Iis igitur, qui scientiam hanc vere salutarem fatentur, quia perspiciunt, dicatae sunt hae primitiae

AUCTORIS.



---

**I**mmediatae rerum externarum in sensus nostros impressiones iam gratam iam ingratham sensationem excitant; priores, contra quam in aliis animantibus non semper salutares, uti et posteriores sive ingratae non aequae noxiae sunt; ut adeo in has terras positus homo nullum securum in discernendis influxibus salutaribus et noxiis ducem reperiat, praeter experientiam, fidam memoriam, et ratiocinium. At vero quam vastum hoc, et quam discriminis plenum desertum est; quotusquisque in eodem dimetiendo effugiet insidias elementorum, plantarum venenatarum, animalium ferorum et rabidorum? aut si horum laesionem experiat, qui effugiet, ne victima cadat? — Erant igitur mox ab incunabulis, testante hoc consideratione indolis humanae et historia, erant inquam homines, qui singulari sedulitate noxia ab innoxiiis distinxere, et ubi priora obfuissent salutaria notare, collegere, egentibus adplicare, sicque sociorum hominum vel invitorum fiduciam et reverentiam meruere. Horum alii consilia expetierunt, et observaverunt primum quidem in morbis, sed brevi etiam in statibus vitae ad morbos accedentibus, uti gravitate, dentitione, debilitatibus quibusvis etc.; tandem in statu quoque sano, viderunt quippe non in quibusvis adiunctis externis, non inter quosvis influxus eandem esse firmitatem ac venustatem valetudinis; qui igitur influxus

ceteris praeferendi essent, scire voluerunt ab iis, qui se scrutinio horum imprimis devoverunt. Vere igitur necessitas dedit initium Medicinae uti et omnibus aliis salubribus institutis. Imo ut tanto certius tam salutarium civium ope fruere, eos sibi devincire partim privatae familiae, partim integrae civitates conabantur, constitutis in favorem eorundem utraque parte dignis conditionibus. Ne vero, quod boni et sagaces hi collegere, una cum ipsis tumulto inferretur, utrique parti exoptatum erat, celebratis iam in medendo individuis adlaterari iuniora, quantum licuit capacia, quae gemmis et auro pretiosiora illorum scita susciperent, retinerent, ditarent, et iterum in aliorum bonum adhiberent, quod utique expectationi non respondit, nisi singula horum individuorum essent huic scopo aptissima. Haec fuit Medicinae, ac Medicorum origo.

## §. 2.

Primum igitur Medici, aut rectius Medicum induere volentis officium est: *Serio dispicere, an omnes genuino Medico necessarias dotes habeat*, ne secus locum, quo dignus non est, occupans fiduciam aliorum fallat, et salutis loco aut nihil, aut quod facile est, perniciem operetur. — Quo gravius est officium quodpiam, eo validiores vires et proprietates requirit. Medici est harmoniam inter vitam sanam et aegram, atque inter totius, quae immensa est, Naturae partes tueri, aut amissam restituere; numquid autem hoc possibile est abs cognitione memoratorum utriusque, numquid vero cognitio vel sperari potest sine docilitate avida, et capacitate illustri? Dos itaque

1-ma. Medico necessaria est: *capacitas et docilitas ingenii*. Non sufficit autem intellexisse et avide suscepisse ea, quae hominum existentiae proficua aut noxia sunt, verum oportet eadem etiam *fideliter* memoria tenere:

omnis enim hoc in obiecto permutatio summe pernicio-  
sa est;

2-do. Itaque Medicus: *fidelem reminiscendi facultatem habeat*. Non sufficit autem audita et visa memoria tenere, nisi in obviis quibusvis similia a similibus acutissime discernantur, quo quisque casus individualitati suae congruens tractamen nanciscatur, ideo

3-tio. *matura iudicandi facultas* in Medico vero desiderari nequit. Cum vero, ut cuique liquet, Medicinae finis sit, aliorum hac in re imperitorum salutem conservare aut restituere, ad hoc autem non raro disparentibus aliis motivis sola humanitate duci debeat Medicus, quis dubitabit

4-to. Medicum verum, *vere bono ac humano animo animari oportere*, ut scilicet aliorum salutem operari non detrectet, etiamsi nulla inde lucri spes affulgeat, aut honoris! — Omnia autem haec

5-to. *serena discretio* comitetur, nam secus omnia priora suo saepe frustrabuntur effectu.

### §. 3.

Alterum Medici officium est: *se pro munere suo rite praeparare*. Navita navis gubernium, villicus horti regimen detrectat, antequam rem in se suscipiendam rite perspiciat; is autem qui vitam, summum bonum, tractandam habet, huius moderamen adgredietur, antequam ipsam et quae cum ipsa in perpetua necessitudine existit Naturam rite noverit? exercebit sine scrupulo artem, de qua nulli non divus Graecus dixit: quod ipsa „longa sit, vita brevis“ antequam debite didicerit? Sane si temeritas est, dicere quod non perspexeris, quanta erit tractare, praesertim cum tractamen hoc discriminis plenissimum sit, et falcem mittat in opus nobilissimum Naturae! Et hominem itaque sanum iuxta ac aegrum, physice non minus quam

psychice; et universam in qua is vivit, ac a qua suam merito salutem aut perniciem expectat, Naturam pro viribus et quantum in praesenti noscitur, cognoscere contendat Medicus, et quidem huius tam materialem quam dynamicum polum; ut hac, quae cum Physici nomine toties, et quidem si iuste, recte permutatur, compellatione, dignus sit. — Triste quidem est fideli Naturae filio scienti, quod sicut ipsa unica sit, sic et ei conveniens aut potius per eam exoptata medendi methodus unica et magnae certitudinis esse possit, cernere eos, qui se Ministros Naturae profitentur in sectiones abire, veritatis loco Personarum studio teneri, denique audacter cudere, et profiteri systemata; at vero conquiescit idem in eo, quod humani generis haec sit destinatio, ut per luctae mare pertingat ad veritatis et perfectionis portum; et cum videat, certitudinem hac in re licet gravissima nondum adesse, probat omnia, quaecunque vel speciem veri habent, conscientiose, et tenet ea, quae fideli scrutinio meliora repererit, quidquid caetera hominum caterva de iis sentiat; nec frustratur certe, saltem quantum praesens concernit seculum, sua expectatione.

#### §. 4.

Tertiam, et principale Medici officium est: *eorum, qui huius opera uti volunt, statum valetudinis curare.* Splendidum sane, imo omnium, quae ei hic quoad physicum hominem obtingere possunt, officiorum splendidissimum. Ubi enim omnia caetera in antagonistico physico vel morali cum individua vita hominis conflictu existunt, hancque demoliri nituntur; Medicus hanc ipsam servare, perficere, aut a norma seu culpa aegri seu vero sine hac aberrantem iterum ad normam reducere nititur, sicque opus Auctoris Naturae in entium, quantum scimus, principe continuat. — Sicut autem status valetudinis duplex esse potest: *nor-*

*malis* vel *abnormis*, quorum tamen uterque cura omnimode culti Medici eget, prior quidem ut conservetur ac perficiatur, posterior vero ut iterum ad normam redeat; ita et hoc curandae in genere valetudinis hominum officium bifariam secedit, et nititur.

## A. Statum valetudinis normalem tueri ac perficere.

### §. 5.

Valetudo normalis, vel sanitas est ille existendi modus, quo omnes vires hominis harumque functiones quantitative, et qualitative in harmonico inter se nexu ac consensu sunt ita, ut omnis earum actio et reactio finem, seu felicem existentiam hominis promoveat. Media quae, et leges secundum quas hoc praestant, *Diaeteticae* vel *Hygienes* sphaeram efficiunt. Homo ut existat, in iugi cum Natura externa nexu positus sit oportet; qui quidem nexus perpetuam involvit luctam, e qua tamen organismus individuum suam et singularibus plane ac a cosmicis saltem quantitative et formaliter distinctis legibus obtemperantem existentiam defendens victor recedat ita, ut ipse e mundo externo, quantum sibi necesse est, rapiat, nec tamen plus, quam subigere possit; per mundum vero nunquam vincatur, secus individualitatis suae iacturam hoc ipso subiturus. Quo quis in dicta lucta perfectius triumphat, eo sanior dicitur et est; quod ut fieri possit, cum ipse homo limitatus sit, dentur autem innumeri influxus, qui ob magnam a vita hominis differentiam etiam minori quantitate — venena, medicamenta rectius — alii autem omnes etiam amississimi, si modum excedant, organismi actionem superare sicque eum subiugare valent, quid, et quo in gradu admitti possit debeatque, scire oportet hominem, quo sic

ea quae indole nocent sua, aut plane non aut solum subiugabili, alia autem solum necessaria admittantur quantitate.

§. 6.

Medicus est, qui nobili suae in societate humana positioni conformiter, *quinam influxus ad noxios, qui item ad necessarios, et quo in gradu spectent, aliis dicere debet*, et quidem cuique habito stricto respectu individualis constitutionis. Neque enim noxiis omnes perinde succumbimus, sic dum hic spiritu vini quotidie per libras hausto vitam per seculum sollicitat nec exhaurit, imo post longiorem usum tali sollicitamento plane eget, alter vix una alterave olympiade haurit mendacem illum liquorum, iamque ob subtractum quotidie nerveum robur fontem vitae altioris penitus exhaustum cassum lugere, et miserrimo interitu luere debet; idem valet de omnibus aliis influxibus externis, et quidem in ratione cum horum noxio influxu eodem. Cui quidem nobili muneri non satisfaciet Medicus, nisi consulentem iam pridem observaverit, aut serio examine nosse didicerit, quo sic eius in quosvis influxus externos agendi et reagendi potentiam discat, atque huic conformiter admittantur illi, non plus, sed *neque minus*. Mira enim et plane felix est primaeva indoles hominis, ut moderatis influxuum externorum impulsibus tantum abest, ut debilitetur, ut potius iugiter ad reagendum sollicitata roboretur, defecta omnium idgenus sollicitaminum quasi stagnatura, et se ipsam detritura. Est autem hoc in quosvis influxus externos reagendi, sicque individualitatem suam tuendi conamen in processu vitali tantum, ut existente etiam processu quopiam abnormi seu morbo in organismo, dummodo influxus ille morbo huic oppositam impressionem exseruerit ad sequendam directionem contrariam perducatur vim vitae, sicque eam, quam morbose sequebatur

directionem non solum deserere, sed plane emendare faciat. Hoc dicit experientia.

### §. 7.

Ad noxios hos influxus spectant omnes potentiae organismo nostro inimicae, e validis, quas in hoc producere valent, revolutionibus cognoscendae, uti venena suo tempore et modo remedia, et remedia non suo tempore et modo venena, influxus quivis cosmici extremis gradibus appropinquantes: aestus, lux, electricitas, aqua, aërque quantitate et ubi possibile forte qualitate peccantia; porro nutrimenta in se vel respectu nutriendi incongrua; habitatio insana, occupatio mentis, animi, corporisque nimia vel nulla vel non satis varia; denique homines vivi improbi, mortui putrescentes. Omnia haec sunt totidem individuae vitae hostes acerrimi, qui hanc tollere et ad leges cosmicas iterum reducere nituntur, id factura certe, nisi Medici, boni una Physici, sagacitate ac solertia eludantur. Iuvat adhuc in specie meminisse potentiarum medicarum: hae quoque uti omnes influxus externi non penitus quidem arceantur, ne hoc exercitio destitutus organismus non satis undique roboretur, rarissime tamen et parcissime admittantur; ne iugi usu vel rectissime abusu nisum vitae reagendi obtundant, ipsam debilitent, ac una incompensabili suo in morbis auxilio spolient.

### §. 8.

Non sufficit vero noxia removisse, nisi etiam ea, quae inprimis utilia aut plane necessaria sunt, adhibeantur. Vero itaque suorum studio intentus Medicus nullam praeteribit aetatem, quin rectis eam comitetur consiliis, iterum iterumque revolvens: cetera animantia naturali instinctu scire, quod sibi prosit, quidve obsit; hominem autem soli rationi relictum, saepe autem non sufficienti pollentem

non tantum destitui sensuum ductu huiusmodi, sed plane ab his ludibrio haberi, dum amarum proficuum recusant, dulce autem venenum appetant. Ideo mox, dum prima pacta matrimonii molitur, monet virum iuxta ac mulierem, ut ei solum uniri velit in perpetuum, quem vere prae aliis diligit aut saltem diligere potest, utpote sanum, suo iudicio venustum et iucundum, probum, denique necessariis vitae provisum; quibus non solum, quoad ipsi vivunt, sed etiam post sua forte praematura fata iterum forte relinquendorum orphanorum saltem primis necessitatibus prospiciatur, ne secus dura ubique calcem premente necessitate ipsi, aut certe post ipsos superstites ingemiscere debeant: se cum vita non bonum sed iugum sortitos. Ubi autem inito Matrimonio neocopulati gaudiis sexualibus, non tamen ad poenitudinis possibilitatem usque fruentes fructum concepisse se exultant, monet gravidam, ut hoc tempore ceterorum animalium exemplo a concubitu absteat, non solum praesenti foetui, verum etiam futuris, crescente continuo abortus possibilitate, pernicioso. Ut fugiat graves quosvis affectus, praesertim iram, tristitiam et horrorem; labores maiores praecipue physicos; cibos et potus inprimis nimis artificiosos, spirituosos, et multo aromatate conditos; haec enim omnia si non decerpunt, saltem macerant fructum, quem utique non, quam miserum, nasci satius est.

### §. 9.

Positum in orbem novum incolam, futurum forte *Hominem*, cui iam cum ipso aëre in contactum venisse sat molestum, cum paucissimis, quantum fieri potest, influxibus in contactum venire permittit ideo, non diffidens Naturae, uti apud cetera animantia sic et apud hominem veris necessitatibus minime defuturæ: angvis ad instar arceat theatum et syrnpus nocituros. In genere suspirare de-



bet ubique *Medicus*, homines parum fidere Naturae; quasi vero haec nos ita plane reliquerit orphanos, ut ductu hominum in ipsis physicis functionibus egeamus. Svadet porro Matri, ut fructum suum ipsa lactet, sibi hoc modo non minus quam soboli profutura, Natura sibi fideles sicut ubique, sic et hic longa firma beataque cumulante vita; casu autem in contrario nisi forte necessitas aliam legem iubeat, severe satis iniustitiam matris non matris vindicante. Neque tamen inexorabiliter adhaeret consilio suo, imo ubi e lactatione plus detrimenti quam lucri proveniret, ipse disvadet eam, alterius, matri quantum fieri potest, analogae bonae et sanae mulieris, aut etiam vaccae, caprae etc. lacte suppleendam; at nunquam svadet ulterius protrahi lactationem, quam usque primorum dentium germinationem: hac enim indicat Natura infantem iam etiam solidioribus cibus idoneum esse. Ne autem hic ad solidiora transitus repente ingruat, iterum ipso saltu incommoda adferre valens, ideo iam prius aliis cibus progressive, matris vero lacte regressive nutriendum censet, quo sic transitus ad cibum vere non maternum fere insensibilis sit.

#### §. 10.

Ubi medicus dentes germinare videt, maiori quam unquam hactenus attentione prosequitur valetudinem infantis, probe memor in gravi hoc negotio facile errare vim vitalem, dum scilicet haec dentes quanto ocyus productura humores vitales ad caput concentrat, facile aliarum nobilissimarum eius partium praecipue cerebri functiones perturbat; ideo curat, ut affluxus humorum intra iustos cohibeatur limites; quem in finem ipsa Natura, antagonisticam alvi laxitatem producens non raro multum agit, dummodo et haec iusto maior non sit. Uti tota vita, ita praecipue in teneriori hac evolutionis aetate curat *Medicus*, ut victus, amictus et omnia alia ad vitam necessaria sint

quam simplicissima, parcissima, et strictae necessitatis limites plane non transgrediantur: quo enim pauciora hac aetate conceduntur, eo pauciores quoque erunt necessitates, et eo plura perferet evolvendus homo. Prohibet autem Medicus ante secundam dentitionem exercitio mentis, nisi forte per distractionem, accingi puerum, probe sciens hanc aetatem pro evolvendo animo adhuc imperfecto ineptam soli eius subtracto dicari debere, et hac solum via robur utriusque sperari posse, sibi olim aliisque vero bono futurum. Ideo liberum motum in libero aëre ad lubitum concedi laudat, vituperat vero vix triennes mitti ad ludos, quo ibi sedere discant in marcido corpore, vix nisi erethisticum animum circumlaturos. Altera dentitio, utpote valido iam satis contingens corpori vix eius exercet attentionem, progrediturque ludibundus, alterius existentiam vix advertens ad pubertatem uterque sexus.

### §. 11.

Gingivas superantibus caninis incipit sexus uterque in infima, hactenus indifferente, sinus regione pilos conspiciere, puer erectiones non ingratas, et hic autem et puella caloris quemdam sensum multum delectantem in imo persentire abdomine, neuter loquitur cogitative frigide de altero, et etiam non informatus suspicatur: notabile inter se intercedere discrimen, quod discrimen principio quidem rubori non raro praebet materiem; videre tamen viderique exoptat, imo serius, quin sciat cur, placere cupit, verbo pubescit. Est itaque *pubertas* summe memorabilis illa Epochæ in vita individui humani, qua partes et cum his vires sexuales evolvuntur, totaque corporis ac animi conformatio singularem plane et utrumque sexum characterisantem sortitur formam. In viro praecipue evolvitur magnis olim in mundo opponendum laboribus peccus, hoc externa amplitudine et interna conformatione

praevallet muliebri; in qua ex adverso pelvis futura olim hominis germina susceptura et futura relationum memoratarum utraque superat virilem, provido utique Naturae consilio. In viro hoc tempore incipit secretio seminis. Hoc in stadio vitae praeprimis curat, ne ulla contingat aberratio functionis sexualis. Induretur virilis adolescens, et ad gloriae studium laborisque amorem asvescat, fiet taliter, ut aberrationes sexualitatis aspernetur in verum veri philantropi solamen. Denique adolescentia est tempus, quo verus Naturae observator et cultor Medicus omnes adolescentem circumdantes monet: attento esse in vires et propensiones alumni animo, quo sic cuinam statui is aptissimus sit futurus rescire, sicque eum pro isto potissimum praeparare valeant, serio monens: non eum qui in alto, sed qui in, sibi apprime, congruo sedet subsellio, esse felicem.

§. 12.

Dum in viro succi foecundantis praesentia *evolutam praesentemque* pubertatem indicat, idem in muliere *fluxus menstruus* designat. Dum enim in hac organismus mense quovis partem sanguinis velut ab ipsius individui sustentatione superfluum, et foetus evolutioni vel infantis lactationi inpendendam eliminat, clare docet: puellam iam nunc virginem foecundationi suscipiendae esse idoneam. Quia vero fluxus hic variis obnoxius est anomalis, praesertim primae eruptionis tempore, ideo puellam hoc in puncto existentem nunquam non curat Medicus, svadens sufficientem motum corporis, praecipue in libero aëre, animum facilem, victum debitum, inspectionem denique providam; quo, si forte difficulter erumperent, aut iam fluentia adhaerent vel nimia fierent menstrua mox ipse recto suo adesse possit auxilio. Magis autem quam ipsa menstrua, attentionem Medici exercet, si felix, sin autem

infaustus *amor*, hunc evitari, aut si non potest, recte dirigi, et ubi fieri potest amato potiri urget, delusam hanc potentem adfectionem gravissimorum pro tota saepe vita scaturiginem esse minime ignorans, uti contra recte directam, vitae amoenae causam. Irritationem matricis hic quoque possibilis ob nimiam systematis nervei irritationem perniciosam praecavet sanatque.

### §. 13.

Ubi vir et dynamicam et physicam perfectionem attingit, et de statu vitae sibi prospexit, quo non tantum ipse destinationi suae nobili congrue vir, sed etiam aliis existentiam dare possit, nisi ferrea plane necessitate prohibeatur, ducat evolutam, in sociam vitae feminam: haec est intentio Naturae, hoc praeceptum experientiae, si felix esse vult. Sit tamen haec non evoluta solum, sed etiam sana animo et corpore, et quantum fieri potest perfecta, nam nonnisi hoc modo triplici: consortis, matris, et dominae officio respondebit. Si autem praevidet finem matrimonii sive ob paupertatem sive aliam immodicabilem causam obtineri non posse, absteineat, ne secus suae voluptati plures innocentes immolandi crudelitatem admittat. — Matrimonii iure non ob ipsorum generantium solum, sed et generandorum bonum citra graviditatem parce, in hac ipsa vero plane non uti monet; cum ibi utrorumque debilitatem, hic insuper et abortum facile inducere possit, qui quo saepius admittitur, eo facilior est.

### §. 14.

Sic prosequitur attentio Medici homines ad senium; cuius apud viros decrementum virium, apud mulieres hoc et emansio fluxus menstrui signum est. Reflectit hic Medicus, iam nunc iterum eam adesse aetatem, qua quidquid succorum producitur, iterum ipsi individuo sustentando

necessarium sit; omnem proin iacturam verum detrimentum adferre, cum iam nihil superflui, proin citra detrimentum erogabilis habeatur; omnem quoque excessum difficilius longe quam hactenus reparari. Sicut omnes sic et digestionis vires langvere, pauciora itaque quam hactenus, in assimilandis nutrimentis onera vi vitae esse inponenda; animum sponte sua in tristia proclivem minus seriis occupandum, gratis stimulis vini frequentius, licet parcius, utendum esse. — Sic ii, qui vi adiunctorum hominem sufficienter scrutari, sicque noxia quaeque a salutaribus debite discernere nequeunt, egent Medico, etiam sani, cuius utpote est et hominem ipsum, et universam cum qua in immediato est nexu, ac e qua omnem suam vitam non minus quam interitum, haurit, noscere, et cognitionibus suis aliis hoc in puncto-gravissimo — se inferioribus adistere. Si autem haec de statu sano valent, quanto magis valebunt

## B. Statum valetudinis abnormem iterum ad normam reducere.

### §. 15.

Donec organismus e natura externa nec plus quam sibi assimilare possit, nec minus assummit, quam ad restitutionem et perfectionem virium materierumque suarum necesse est, et in genere, donec non maiores a Natura externa persentit impulsus, quam quibus frustrandis par sit, persistit eius sanitas illaesa; mox vero, dum influxus externi modum excedunt, turbatur harmonia functionum eius, quae turbatio, si ulterius communicata plus minus permanens fiat, nascitur status valetudinis abnormis, seu *morbus*. Est igitur morbus *sublatum inter functiones organismi aequilibrium*. Docet autem experientia aequilibrium hoc saepe mora temporis, sublatis impedi-

mentis velut fluctus maris, iterum sponte ad aequilibrium redire; et etiam eam intercedere inter organismum humanum vivum, et quaedam Naturae corpora relationem dynamicam, ut haec cum illo in disharmonia existente in contactum posita, valeant iterum aequilibrium reducere, miro sane et beneficentissimo Auctoris naturae instituto. Quae corpora, cui disharmoniae formae respondeant, sedula experientia duce solum scire potest, qui processum hunc Naturae observat, Medicus. Quis igitur consulendus sit, quotiescunque restitutio aequilibrum spontanea longo egeret tempore, aut plane impossibilis esse existimatur, etiam me non monente, quisque sciet. Duo igitur ei, qui morbos tollere vult, noscenda sunt: *clara* (quantum fieri potest) *inaequilibrum notio*, item: *certa cognitio potentiae externae idem inaequilibrium tollere valentis*. Prius fiet sollicite colligendo omnia, quae tractandum individuum a sanitate abludentia offert; alterum vero eas adhibendo potentias, quae vim vitalem ad morbo adversam actionem sollicitant.

### §. 16.

Sicut autem vires hominis aliae sunt pure *psychicae*: quo mens cum omnibus sibi subordinatis viribus pertinet; tum *animales*, quo voluntas et animus cum cunctis sibi famulantibus affectibus refertur; denique *physicae* sive materiales, quae corpoream individui conservationem, et ulteriorem propagationem respiciunt: prorsus ita etiam aberrationes earumdem seu morbi in psychicos, animales, et physicos discerni commode possunt. Singulis horum congruo tractamine opitulabitur Medicus, quod duplex sit oportet: *diaeteticum* aliud, aliud *alterans* seu stricte medicum. Diaeteticum debet sollicite removere omnia, quae vel eundem morbum augere inimica sua actione, vel medicamentorum actionem turbare, vel saltem vi vitae ae-

quilibrium functionum reducere conanti impedimento esse possunt. Primum igitur removeri debet id, quod morbum genuit; si enim in sano individuo functionum turbam proferre potuit, quanto magis poterit, proferre augereque in morbido? circumstantia sane nunquam satis aestimanda. Proin inprovide agunt, qui artífidentes, rectius praesidentes, suae causae excitantis minime solliciti mox ad morbum ipsum expugnandum properant; nonne hi navim conabuntur aqua vacuare, cuius fundus pertusus est, quin hiatum obstruant? nonne admoto calore siccare conabuntur hominem, qui sub Dio imbrem fundente stat? Prima igitur et praecipua cura medentis erit remove id, quod morbum genuit. Non sufficit autem causam morbi removeisse, nisi etiam omnes aliae potentiae, quae iam in sano, multo vero facilius in aegro aequilibrium functionum turbare valent, penitus arceantur; numquid enim non sufficit vi vitali incumbens onus illud, quod ipse morbus inponit? numquid poterimus prudenter novis eandem onerare? quare quidquid medicam vim habet, seu valet vim vitalem modificare, nec tamen in praesenti casu quadrat, fugetur quam longissime, ne secus novae functionum turbae inducantur, morbusque novam, forte de coelo delabi creditam nanciscatur formam. Neque vero solum novarum in organismo turbarum metu arceantur ab aegro omnia, quae vim medicam habent, verum etiam ideo: quia et ipsa suo modo vim vitalem modificando, congruorum remediorum actionem mutarent, arctarent, aut plane neutralisarent, vel denique vim vitalem, quamnam e susceptis potentiis sequatur, incertam relinquerent. — Primum ergo removenda sunt ab aegro omnia, quae vim medicam habent, nec indicata sunt, et solum ea concedenda, quae pure plastica sunt, seu in substantiam corporis transire valent. Caeterum quod harum quoque selectum et praeparationem, status dyna-

micus organorum digestionis in aegro dirigere debet, monere vix est opus; nam secus ventriculo, assumpta assimilare non valenti, ipsa etiam innocentissima haerendo et fermentando optatae refectionis loco morbum adferent.

### §. 17.

Rectum diaeteticum tractamen solum sufficit, ubicunque levis solum functionum disharmonia spem dat fore, ut intra breve tempus, citra notabilem virium iacturam, harmonia sponte redeat. Imo obliviscendum non est Naturam, sicut in magno sic et in parvo cosmo, revolutiones suscitare sine eo: ut toti prosit: incrementum expediendo, superflua aut noxia eliminando, tumores dispellendo etc., quae omnia non raro sine notabili perturbatione — feбри — fieri nequeunt. Si igitur hic non ministrum, sed Ducem Naturae agere volens, medicus efficax tractamen adgrederetur, et miserum suum planum Naturae obtudere vellet, nonne facile huius saluberrimum frustraret, et ipse quoque frustraretur suo; quo quidem ex respectu felices hercle sunt multi, qui certis in morbis nullum, aut certe nonnisi severe observantem vident Medicum. Verum quidem est innatam nobis vim vitalem non consequentem satis esse amissae valetudinis reductricem, dum e. g. post modicam per exiguum refrigerium caussatam disharmoniam ingentes excitat febres ac inflammationes; neque tamen idcirco aliud extremum nobis patet, asserere scilicet: vim vitalem plane nil posse, plane sine omni scopo agere, sed ubique duci debere. Sicut enim ubique, sic et hic finibus suis non deest Natura, et si deest, nostra non naturaliter viventium culpa fit, ut dum cetera animantia, imo etiam homines feri rarissime aegrotant, et facile convalescunt, nostra vix iam primaevum typum habens vis vitalis tantis superstimulata tantisque enervata modis, morbos facile admittat, admissos grassari sinat, et



aegre componat Quando sapiemus tandem, et desinemus tanta mala tantillis mercari deliciis!

### §. 18.

Ubi aequilibrium functionum e quantitate ac qualitate disharmoniae, e statu individuali aegri, et ex adiunctis, aut sero nimis, aut plane nunquam sponte reversurum praevidetur, ad ea confugit media Medicus, quae ceu veri nominis arma sibi contra morbos dedit providus Auctor Naturae. His Medicus prudens ita utitur, ut, quantum fieri potest, prosit, quin noceat, aut hoc ultimum non magis, quam inevitabiliter fieri debet. Ante omnia vero studet veram tractandi fiduciam possidere, probe memor, hanc solam saepe plus posse, quam omnia remedia; haec autem ultima sine illa vere aut fere mortua esse; quare in quosvis, qui suam sibi committere voluerunt vitam, aegros sine selectu personarum est quam humanissimus, probe memor: satis miseriarum a morbo adferri, ut quid eas auget ille, qui lenire deberet, Medicus. Determinat dein remedia non ad *qualitatem* solum, quae pro diverso morborum genere semper variat, verum etiam ad *quantitatem* circumscripta, pro ratione gradus morbi, subiectivorum adiunctorum aetatis, receptivitatis etc. individui, et etiam activitatis ipsius remedii. Conscius porro Medicus omnis, quae sibi suppetit solertiae, animi quieti non parum studet, ne dum alios circa se et aegrum animo cadere videt, ipse quoque turbetur, et eam quae exspectatur, ferre nequeat opem. Generalia haec principia, iugiter prae oculis habet Medicus, nec tamen tardat eadem pro diversis morborum generibus modificare, quare

### §. 19.

In morbis *mentis* ante omnia circumspicit causam, quae hominem non hominem facere potuerit, an paupertas

sit, an pudor añ amor; haec ut si non tollantur, saltem leniantur curat: hinc tractamen aliud *psychicum*, aliud adornat *physicum*. Illud in eo consistit: ut ideam forte fixam aegri resciat, et auctoritate ac amore aegri iuvantibus eludat; solum hoc ingeniosum utique factum, ubi malum materiali substrato destituebatur, plerumque sufficit. Hoc autem non succedente ea exquirat remedia, quae hunc in processus vitalis aberratione procul dubio radicatum verum morbum, quam citissime et quam incundissime sufferre queant. Quia vero illusionibus mentis, aut iugi morbi stimulo agitatae aeger inquietus saepe est; his in adiunctis *auctoritatis et amoris humanis vinculis* catenarum et lororum durorum utitur loco, probe sciens: priora illa et continentis exorbitationibus, et etiam promovendae psychicae sanationi cumprimis favere; haec ultima vero iis relinquenda esse, qui meliora ignorant.

§. 20.

Ad morbos *voluntatis* inordinatae affectuum exorbitationes spectant; hae prout plerumque non materialem, sed moralem uti pravam asvetudinem etc. agnoscunt fontem, ita moralibus quoque remediis corrigendae sunt. Ubi vero eas processus vitalis a norma aberrationes gignunt, tractamen adhibet duplex, uti in priori §. vidimus. — Non secus et in alienationibus *animi* uti tristitia, torpore etc. faciendum; nisi forte eae connatae sint, sicque vix ullam emendationi spem relinquunt.

§. 21.

Restat, ut de morborum *materialium*, seu in inspius corporis functionum aberratione fundatorum correctione loquamur; at vero hi in specie sunt, qui Medicum orbem tantopere exercent, utinam tandem aliquando magni hi fluctus sedentur in verum generis nostri bonum! ab individu-

orum tamen, quae hac materia occupantur excellentia, multitudine et candore sperare licet, exitum optimum, etiamsi non brevi.

### §. 22.

Ubi tandem nec consiliis, nec remediis eo pertingit Medicus, ut sublatum functionum aequilibrium restituat, sive id morbi vehementia, seu aegri subiecti debilitas faciat, id curat Medicus, ut exitus e vita sit quam facillimus. Hunc in finem mature monet, ut valentibus adhuc viribus necessariae de relinquendis forte, fiant dispositiones; ut ea quae cuique sancta sunt, plene peragantur, sicque gravibus his cnris pauciores maneant aegro, quod utique sicut animi tranquillitati, sic et sortis tolérabilitati multum addit. Si porro dolores essent nimis vehementes, ea adhibet quae saltem palliative ipsos leniant; sicque qui in vita fuit in morte quoque amicus manet Medicus. — Ubi vero exanimis, ut videtur, coram cernit exuvias, certo tempore properat has investigare, an mors non forte solum apprens sit. Sepeliri dein iubet ratione debita, ut qui, si bonus fuit, in vivis existens prodesse studuit, post mortem non noceat invitus, noxiis quas putrescens exhalaturus est efflavis. Sic a primo conceptionis momento usque ad tumultum sua sollicitudine prosequitur Medicus hominem, felix si nobilis sui muneris sentit, et fideliter semper exsequitur partes, dignissimus omnino, qui in annalibus inter veros hominum benefactores perennet.

### §. 23.

Neque autem singulis solum individuis, sed universis etiam communitatibus sua salutaria obsequia praestat Medicus, dum necessario ad hoc iure instructus pericula, quae integrae cui praestet societati ab elementis, ab aliis animalibus feris ac rabidis, a morbis contagiosis imminet,

qua verus Naturae scrutator, praevertere aut saltem sopire docet; dum meliorem solo, lignis, lithantracibus, mineris, aquis soteriis etc., quam hactenus utendi modum commendat; verbo dum iugi scrutinio Naturae rescit, quid hactenus intermissum, quid erronee, quid plane male factum sit, et qualiter his omnibus mederi oporteat, quo sic quantum potest beetur, homo donis Auctoris omnium.

